



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 107. Quorumdam Præsidum querelæ apud regem contra hæreticos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI
A.C. 1559

veneno imbuti sunt, tanta sit impudentia, ut non jam in privatis conventibus, sed palam, ac publice in toto Regno hæresim divulgent, qua re & Dei nomen contumeliose profcindi, & Majestatem regiam haud dubie convelli inquebant, cum ibi, ubi divina jura sunt confusa, haud dubium sit, quin simul & humana omnia subvertantur: Id autem, ut eo magis Regi persuaderent, Ægidium Magistrum Senatus Principem, Joannem Santandreamum, Antonium Minarium Curiae Præsides, & Ægidium Burdinum cognitorem Regium adhibent, & his administris, ac præcipue Ægidio Magistro magni, & acris ingenii homine usi, parum pace foris parta prospectum esse Regi ostendunt, si externis armis crudelius multo bellum domi exoriat, ac indies in Regno magis, magisque invalescat.

§. CVII.

Quorundam Præsidium querelæ ad Regem contra hæreticos.

Hisce rationibus propositis insuper Regi hæc significabant: „jam malum eo „pervenit, ut, si diutius dissimuletur, „non jam Magistratus gladio, ac Regni „legibus coerceri, sed justis exercitibus „ac Regiis auspiciis, ut olim Albigensium temporibus accidit, illud debellari

„lari necesse sit; res enim hactenus in-
 „feliciter successit, cum iudiciorum se-
 „veritas duntaxat in plebem, ac pro-
 „miscuam multitudinem grassaretur,
 „unde Judicum odium ad omnes, atque
 „exemplum ad paucos pervenit: hinc ab
 „iis ipsis initium ducendum nunc est,
 „qui iudiciis præsumunt, quorum alii oc-
 „culto in sectarios favore, alii gratia,
 „& amicorum commendatione, omnes
 „vero conniventia malum alunt, & im-
 „punitum sinunt, pœnas pro arbitrio, ac
 „voluntate statuentes: hæc autem mali
 „radix est, frustra que laborant illi, qui
 „tam perniciosæ rei obviam ire decer-
 „nunt, nisi eam stirpitis evellant: pro-
 „inde opus factu videtur, ut Rex in Se-
 „natum, quem per Conventus, ut vo-
 „cant, Mercurialis occasionem, coactum
 „nactus est, inopinato veniat.,

Porro hic Conventus ea ex ratione
Mercurialis nuncupabatur, eo quod Ca-
 rolus VIII. primus illius Auctor anno
 Christi millesimo quadringentesimo nona-
 gesimo tertio eundem Senatam quo-
 libet Mercurii die celebrari iussisset,
 quamvis Ludovicus XII. eundem bis
 duntaxat per Mensem, imo Franciscus I.
 nonnisi una vice quolibet Mense haberi
 voluerint, porro in eodem præcipiebatur
 Regio Procuratori, & Advocato, ut in
 illos Consiliarios, qui in administranda

Sæcul. XIV.

A.C. 1559.

Sæcul. XVI. justitia suo muneri deerant, juxta legum præscripta inquirerent: insuper novo mandato eisdem injungebatur, ut præprimis in hoc conventu de rebus fidem concernentibus agerent, ac Religionem nullo pacto labefactari permetterent: Consiliarios vero de hæresi suspectos severe castigarent.

§. CVIII.

In hæreticos per Regii Senatus Patres inquisitum.

*Thuan. l. c.
Belcar. l. 28.
Spond. hoc
ann. n. 17.*

Cum edictum Castro-Briantii editum, vi cujus hæretici pertinaces mortis supplicio affici jubebantur, effectui datum non fuisset, eo quod Parisiensis Senatus circa Religionem in diversa abiret, hinc Rex primo suo Præsidi, necnon ceteris supra nominatis negotium dabat, ut exponerent, quod ex hac ipsa opinionum diversitate hæresum progressus oriantur, quapropter fatagerent, ut Regis edicta executioni darentur. His ita ad Mercurialem Conventum feria quarta Mensis Aprilis relatis, Burdinus Procurator Generalis hæreticos juxta Castro-Briantii edictum plecti petiit: Itaque hanc in rem ceterorum suffragia colligebantur, eorumque plures de hæresi suspecti, dum suas sententias desuper promebant, suas sectas detegere cogebantur; opinabantur enim illi,